

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Quòd hæc sancta Respub. quædicitur Ecclesia, est veluti corpus varijs
distinctum partibus, & quòd excitandi sint auditores, vt in propria
vocatione maneant. Cap. XXIIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

nus exercituum flagellum. quibus verbis ostendere poterit orator neminem vñquam, qui in Domino sperauerit, confusum esse: hæc verba locutum esse Dominum per prophetam: Requiescere faciam potentes, superbiam infidelium humiliabo.

Quod hæc sancta Respub. quæ dicitur Ecclesia, est veluti corpus varijs distinctum partibus, & quod excitandi sint auditores, ut in propria vocatione maneant.

Cap. XXIIII.

ET quoniam vniuersa Christiani orbis Respub. imago in eum præse fert nobilissimi cuiusdam corporis, praestantissima anima formati, dicat Christianæ Reipublicæ animam esse religionem, corpus vero varia hominum genera, quæ veluti membra illius corporis nuncupatur: nobilissima membra sunt, sacerdotes, Dei ministri, inter quos sunt gradus, ita ut omnes à Christi vicario pendeant, eumque in primis venerentur; eius veluti defensores, & charissimi filij sunt imperatores, reges, & principes, qui eo meliores sunt, quo magis à Dei ministris pendent, & sanctam matrem Ecclesiam consilio & opibus, sanguine etiam ipso defendunt. Hanc ipsam formam proponet Ecclesiasticus orator, ad hunc usum, ut doceat manendum vnicuique in vocatione sua: imperare esse difficilimum sibi, nedum cæteris, quarè non inuidendum sacerdotibus, non inuidendum regibus, orandū potius pro illis, consilio, ope, & diligentia iuuandos, ut onus sustineant; carere reges et principes, episcopos etiam & sacerdotes huius vita solatij: eorum vitam plenam periculis, laboribus, & sollicitudi-

citudinibus, plerunq; illos falli, vt illis detrahere, magnū sit peccatum: rectè illud dici posse, esse illos seruos, quia commodis aliorum, ad illos in primis spectat seruire: & profectō si homines saperent, nihil esse tutius, nihil optabilius, quàm parēre, quàm sibi viuere, & ad vitam aeternam, ad patriam nostram adspirare intelligerent; modò magistram quispiam non respuat, matrem & nutricem sapientiæ, sanctam matrem Ecclesiam: nihil potest accidere, ex quo bonum quisq; non possit excerpere: non bonos principes, interdùm esse veluti pharmaca diuinæ iustitiae: si populus in vijs Domini progrediatur, & orauerit, quos non bonos expertus est, diuino beneficio bonos euasisse cognoscet. Quarè illa sententia sàpè est explicanda, omnē potestatem esse à Deo: parendum Pontifici maximo, Christi vicario, & illis, quos constituit, episcopis, & parochis, veluti ministris Dei, ministris diuinæ iustitiae, aut diuinæ misericordiæ; ita etiam regibus, & illis, penè quos ea in vrbe siue oppido est rerum administratio: sàpè dicat occulto, sed sapientissimo Dei iudicio interdùm fieri, vt qui minùs digni sunt, imperent, pareantq; illis sapientiores: in quo argumento non diù morabitur, cùm locus potius se obtulerit, varias solicitudines principum, & eorum, qui Rempublicā administrant, proponet ad leuan dam inuidiam illorum, qui priuatam vitam degunt, qui commoda priuatæ vitæ non considerantes, miserabiliter plerunque affliguntur. Sed ob hanc causam in primis in hoc versabitur argumento, vt populum excitet ad amandos principes, à quibus gubernatur; et ad orandum Deum, vt illis subministret spiritum consilij, vt veluti parentes populorum, eorum salutem propositam habeant.

Varia